



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola III. Gregorii Papae VIII. Ad Omnes Praelatos Ecclesiarvm. Pro
iustitia facienda & litibus componendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

18 GREGORII PAPÆ VIII. EPISTOLÆ.

to omnes indifferenter, qui bene valent, a carnibus abstineant. Nos autem & fratres nostri in secunda quoque feria nobis & familiis nostris esum carnis interdicimus, nisi forte aut infirmitas, aut magna solennitas, vel alia euidens causa visa fuerit impedire; sperantes quod sic nobis ignoscet Dominus, & relinquet post se benedictionem. Hoc igitur adeo statuimus obseruandum, ut qui cumque transgressor extiterit, quasi præuaricator quadragesimalis ieunii habeatur. Datum Ferrariae quarto Kalendas Nouembbris.

Hæc Gregorius. Qui eodem mense adiecit alias, quibus statura literis Urbani papæ prædecessoris, etiam non obstante eius obitu, voluit suam habere firmitatem, & robur obtainere, quæ ab eodem Rōgero in annalibus Anglicis descriptæ sic se habent:

EPISTOLA III.
GREGORII PAPÆ VIII.
AD OMNES PRÆLATOS ECCLESiarVM.

Pro iustitia facienda & litibus componendis.

*Gregorius episcopus seruus seruorum Dei omnibus prælatis ecclesiarum, ad quos literæ istæ peruenient, salutem
& apostolicam benedictionem.*

QVONIAM ad episcoporum maxime spectat officium afflictis & laborantibus subuenire, vnumque illorum, licet deficientibus meritis nostris, Deus esse nos voluit, prospicere tenemur & volumus, ne quis ex fortuitis casibus per Romanæ visitationem ecclesiæ laboris sui, quem ad eam veniendo sustinuit, debito frustraretur effectu. Inde siquidem fuit, quod nos multorum prospicere volentes expensis, & alleuare labores, de consueta sedis apostolicae misericordia duximus statuendum, ut literæ prædecessoris nostri domini Urbani, a tribus mensibus ante ipsius obitum destinatae pro facienda iustitia & litigiis dirimendis, quæ tamen manifestum alicuius præiudicium non contineant, aut calumniam æquitatis, eumdem habeant tempore nostræ administrationis effectum, quem habere, si adhuc viueret, debuissent. Cessante

igitur exceptione de mandatoris morte, perficte quod
mandauit agendum, vt nemo ad nos pro excusatione hu-
iusti accepta per illum iustitiam obtinendi fiducia co-
gatur vacuus laborare. Datum Ferrariae * sexto Kalen-
das Nouembris.

ODONIS
EPISCOPI PARISIENSIS
SYNODICÆ CONSTITUTIONES.

In nomine sanctæ Trinitatis incipiunt prohibitiones &
præcepta obseruanda ab omnibus sacerdotibus, data
a venerabili Odone Parisiensi episcopo.

CAPUT I.

De modo & tempore celebrandi Synodus.

1. *Fit Iouis in luce Synodus quæ proxima Lucæ.*

Lux Iouis hac replicat tertia pascha sequens.

IN principio Synodi, antequam cantetur, Veni creator Spiritus, quæratur vtrum præsentes sint abbates & sacerdotes qui tenentur Synodo interesse. Ethoc factō incipiat episcopus alta voce, Veni creator: quo finito dicantur orationes, his precibus præcedentibus, Pater noster: Et ne nos, &c. Benedicamus Patrem, &c. Post partum, &c. Lætamini in Domino, &c. Fiat pax, &c. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Orationis, Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, &c. Actiones nostras quæsumus Domine, &c. Deus qui salutis æternæ, &c. Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis per sanctorum tuorum, quorum corpora vel reliquiae in ecclesia præsenti requiescunt, merita gloria, vt eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur aduersis. Infirmitatem nostram quæsumus Domine respice, &c. Deus a quo sancta desideria, &c. Per Dominum, &c. Finitis orationibus residebunt, & legetur lectio: qua lecta fiet sermo.

*Synodus o-
lim celebra-
batur exto-
to triduo,
idque cum
ceremoniis
& precibus
solemnibus,
quales fecer-
hic descri-
buntur, vt
videre est
apud Bur-
chardū ad
finem Con-
cilii Sale-
gunstadien-
sis.*